

30

DE
FEBRIS SALVBRITATE
IN FLVORE ALBO BENIGNO

INDVLTV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS A CONSILIIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINARIO
FACVLT. MEDICAE SENIORE, REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAE-
SIDE, ET REGIAR. SOCIET. SCIENTIAR. ANGLICAN.
BEROLINENS. ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS

SOLEMNITER IMPETRANDO

DIE XVIII. DECEMBRIS MDCCCXLIV.

H. L. Q. S.

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

FRIDERICVS WILHELMVS WASMANSDORF

BEROLINENSIS.

HALAE AD SALAM

LITTERIS CVRTIANIS.

DE
FEBRIS SIALIBRITATA
IN FLVORE ALBO BRVIGNO

IN PVTIV
GRATVSI MEDICVVM OVLINIS
IN REGIA FRIDRICIANA
PRAESIDE

D. ANDREA LIA FUCHNERO

POTENTISSIMI PAVSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS
MEDICINAE ET PVTIVS REGIS PVTIVS ORDINARIO
MAGISTRO ANATOMIAE ET PVTIVS PVTIVS
SIBI ET REGIAE SOCIETATIS MEMBRUM
MAGISTRO ET HONORARIO


PRO GRADV DOCTORIS

SELMVITAE PVTIVS
DIE XVII DECEMBRIS MDCCCXV
FRIEDRICH-WILHELM-VON-WANDORF

BEROLINENSIS

FRIDRICH-WILHELM-VON-WANDORF





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,
DE
FEBRIS SALVBRITATE
IN FLVORE ALBO BENIGNO.

§. 1.



Satis superque quotidiana docet experientia, si *Institui*
corpus humanum morbis, quorum infinitus *ratio.*
est numerus, diuexetur, novos saepius exo-
riri solere morbos, quibus praecedentes salu-
briter tolluntur; adeoque non raro euenire, vt vnus effe-
ctus exoptatum sit alterius remedium. Si qui sint, quos
huius rei dubitatio teneat, eos tuto ad historiam medicam
ablegare possumus. Quis enim est, quem fugiat, febres

idem illud, quod nunc modo diximus, praestare in stasibus, obstructionibus, effectibus spasticis et paralyticis? idemque etiam praesidium positum esse in haemorrhagiis, ad inflammationes molestosque dolores capitis accedentibus? Quia autem ex praesenti tractatione etiam in genere fati manifesto constabit, quantam saepe morbus determinati gradus efficaciam habeat in corpore, ut ab illo alius morbus absorbeatur, et quidem in commodum aegrorum; hinc apud me constitui, in hoc Specimine meo inaugurali argumentis euictum dare, quantum proficua esse possit feris in Fluore albo benigno.

§. II.

*Quid per
morbum sa-
lutarem in-
telligatur.*

Age igitur, quid *morbus salutaris* sit, dispiciamus. Per eum nempe eiusmodi intelligimus morbum, cuius solutio remedium est alterius coëxistentis, ita tamen, ut status sequens praecedente non fiat periculosior.

§. III.

Scholion.

Quisque mihi perquam facile concedet, quod definitio, in §. anteced. proposita, cum usu loquendi, inter Medicos recepto, probe conueniat. Usus huius notionis in subsequens locum habebit, una cum aliis principiis demonstrandi, quae ad praesentem tractationem necessaria sunt; de quorum realitate prius differendum erit.

§. IV.

§. IV.

Vterus viscus est celluloso - vasculosum in sexu feminino, quod in media peluis parte, paululum vero anteriorum, conspicitur. Superficiem habet anteriorem convexam, quae vesicam vrinariam respicit, posterioremque planam, quae intestino recto subiacet. Superior et latior eius pars *fundus* vocatur; inferior *ceruix*, reliqua *corpus* dicitur. Formam pyri caui, ad axin paululum depressi, refert. Habet porro marginem conuexam superiorem, duosque laterales deorsum conuergentes, quibus ligamenta lata annexa sunt, quae cum ligamentis rotundis vterum in situ suo continent. Lata ligamenta cum peritoneo continua sunt, rotunda vero ex superiore vteri parte proueniunt, per annulos abdominales transeunt, et desinunt in pinguedine labiorum et montis Veneris. *Ceruix* vteri orificium eiusdem terminat, vnde canalis procedit, qui *vagina vteri* vocatur, cuius finis *orificium* vaginae vterinae constituit.

Vteri descriptio quoad situm.

§. V.

Vteri substantia *cavitatem* eiusdem continet, quae in grauidis fatis ampla est, in iis autem, quae non conceperunt, parietes se mutuo arte contingunt. Haec vteri cavitatis laeuis est et triangularis, cuius latera curuis lineis circumscribuntur, quae cum conuexitate sua ad cauum vteri, concauitate autem ad partem exteriorem tendunt. Anguli huius cavitatis superiores *sinus* eiusdem vocantur,

Vteri descriptio quoad substantiam.

in quibus orificia tubarum Fallopiarum exstant, quae ita arctae sunt, vt vix feta intrudi possit. Deorsum magis, cauum vteri sensum minus fit, et tandem in cylindri formam abit, canalem tamen habet in media parte paulo amplio-rem, qui ab Anatomicis *vteri ceruix* denominatur. Ipsa vteri substantia non vbiuis eiusdem est soliditatis: vbi enim obtinent sinus, tenuissima est, in medio fundi autem fortior, in lateribus vteri vero magis praeterea fortis et solida, non tamen eo in gradu, quam vbi ceruicem vteri continet: non enim maiori solum copia est et satis solida, sed et in aliquibus cartilaginosa.

§. VI.

De Mem-
branis ute-
ri.

Vterus et externe et interne *membranis* circumscribitur; externae ex peritoneo proueniunt, internae autem nihil aliud sunt, quam epidermidis continuatio, minutis quibusdam villis, et quam plurimis hiatibus praeditae, qui aquosum et mucosum humorem eliciunt. Eadem efficit crebras *rugas*, quibus ceruix vteri ita abundat, vt tota aspera reddatur, et multis quasi valvulis, non sursum solum, sed et deorsum respicientibus, obsita reperiatur. Haec diuiditur in *columnnam* rugarum *anteriorem* et *posteriorem*, inter quas *sinus* quidam minores conspiciuntur, qui mucum ad harum partium lubricationem effundunt. Interdum etiam in hac ceruicis cauitate paruae subrotundae *vesiculae* reperiuntur, quae liquido lymphatico-feroso repletae sunt.

Has

Has NABOTHVS, cum affectis suis, pro ouulis humanis habuit: et hanc quidem ob caussam *ouula* NABOTHI denominantur, reuera autem merae hydatides sunt.

§. VII.

Ceruix vteri in vagina definit per corpus, quod De vteri ore. in parte superiore latum, inferiore autem obtuse rotatum est, et rima aliqua transuersali quasi transfigitur: hoc autem *os vteri* adpellatur.

§. VIII.

Vteri structura, cellulosa, densa, duriuscula et breuis De vasis et nervis vteri est, in qua vasa tam arteriosa, quam venosa reperiuntur, quae tortuosa et pene serpentiformia inter se anastomosis efficiunt, et per totam vteri substantiam transeunt, inter quae nervi quidam per nervos ossis sacri et infimos ramos interni rami paris vagi coniunguntur. Vasa vteri sanguifera, et arteriosa, et venosa, maximam partem ex hypogastricis oriuntur: alia immediate ex aorta inferiore, quae spermatica vocantur: alia ex haemorrhoidalibus externis. Haec vasa arteriosa et venosa in qualitatibus suis a ceteris corporis humani differunt, vt arteriae ab initio parui canales sint, et in progressu sensim ampliores reddantur, ita, vt in lumine suo, si terminentur, eam magnitudinem, quam in principio habebant, ter vel quater superent. Porro tunicae earum in terminatione paulo tenuiores

res

res sunt, quam in initio, et tandem per vias inflexas trans-euntes, retrogradae inter se per anastomofin coniunguntur. Vasa venosa in plexus satis magnos coeunt, quorum trunci maiores sunt quam arteriarum, postea in duos vel tres truncos disiunguntur, et a reliquis corporis humani venis eo discernuntur, quod valuulis destituuntur, et firmis cellulosis praedita lumina aperta habent. Arteriae in utero in duas extremitates diuiduntur, in anastomoticas et exhalantes: priores dum venis connexae sunt; posteriores in statu naturali vel vaporem, vel mucum, vel sanguinem excernunt.

§. IX.

De vagina
uteri.

Vagina uteri pro membranaceo canali recte habetur, qui originem suam trahit ex margine prominente cervicis uteri, et ad externa genitalia porrigitur. Duabus constat tunicis, altera externa, quae continuatio cutis externae et satis firma est; altera interna, quae pro epidermidis continuatione habetur. Apertura huius vaginae ex parte obliqua est, et antrorsum procedit: parietes, anterior et posterior, se mutuo contingunt, et prae nimia rugarum copia iniqui et inaequales sunt. Hae rugae in statu virginitatis copiosiores sunt, quam apud eos, qui coitum saepius exercuerunt. Antrorsum a hymene multae reperiuntur rugae, inter se complicatae, satis prominentes, quae, quia papillis carnis similiores sunt, *carnco-papillosae* vocantur.

Diui-

Diuiduntur in columnam anteriorem et posteriorem, quae per interiacentes rugas transuersales, aliaqua ex parte prominentes, inter se coniunguntur. Rugae hae transuersae per totam vaginam vsque ad os vterinum disseminatae sunt. In hac tunica quam plurimi sunt sinus mucosi, qui mucum secretum cum cauo vaginae communicant.

§. X.

Orificium vaginae in statu virginitatis membrana aliqua occluditur, quae versus intestinum rectum lata est, antrotrorsum vero tenuior, et *hymen* vocatur. Hoc hymen in coitu frequentiori dilaceratur et destruitur, ita, vt versus intestini recti apicem minutae quaedam partes restent, quae, propter similitudinem, *carunculae myrtiformes* vocantur. In his carunculis erga mediam intestini partem varii reperiuntur sinus mucosi, quos *lacunas Graffianas posteriores* appellare consueuimus. Ea pars, quae a hymene ad vuluam vsque proiacet, *atrii vaginae* siue *pronai* nomen fortita est, vti latera labiorum siue alarum maiorum.

De Hymene et aliis cum illo connexis.

§. XI.

Ea rima longiuscula, quae ab hac vagina relinquitur, *vulua* est, et *anguli commissurae* vocantur, vna *superior*, quae prominentia, multis capillis obsita, mons Veneris est; altera *inferior*, quae per membranam transuersalem cingitur, et Anatomis frenulum vocatur.

Idem continuatur.

B

§. XII.

§. XII.

De corpore glanduloso urethrae et connexis cum illo.

In hoc pronao versus partem superiorem urethrae ostium exstat, quod margine prominente circumcingitur, id est, corpore glanduloso urethrae, in quo duo vel tres sinus mucosi conspiciuntur, qui *prostatæ muliebres* vocantur. Ex hoc corpore glanduloso duae carunculae antrorsum et retrorsum comitantur, in quibus *lacunae Grassianae* anteriores continentur, qui sinus mucosi excretioni muci inferuiunt.

§. XIII.

De mentula, corporibus cauevnis, vasis et nervis genitalium in femina.

Ante urethrae ostium *corpus glandulosum clitoridis* situm est, ut et ipsa *clitoris*, cum suis corporibus cauevnis. Ceterum ipse pronaus cum partibus, quas continet, variis sinibus mucosis praeditus est, qui copiose mucum secerunt. Circa vaginae ostium exstat musculus constrictorius ostii vaginae, qui ex sphinctere ani originem suam trahit.

Vasa sanguifera, quae has partes permeant, sunt tam arteriosa, quam venosa, quae fere totam vaginam cingunt, nempe arteria vaginalis, quae ex hypogastrica oritur, et via tortuosa ad vaginam tendit, et in multos ramos distribuitur; arteria pudendalis, quae ex epigastrica provenit et in pudendum abit. Venae vaginales magnos plexus efficiunt, ex quibus in vnoquoque latere plexus vaginalis exstat, qui in duos magnos truncos in vena crurali diffunduntur, et cum venis vterinis anastomosin perficiunt. Venae

nae pudendales, quae plexum pudendalem exhibent, et cum plexu venarum vaginalium congregiuntur, et in vena crurali distribuuntur. Nerui, qui ex plexu mesenterico inferiore et nono pare ossis sacri oboriuntur, in his partibus distributi, magnam earum irritabilitatem efficiunt.

§. XIV.

Ex his, quae in superioribus (§§. IV. VIII. XII.) dicta sunt, facile iam intelligitur: ad vterum et vaginam, propter magnam vasorum copiam, insignem quoque sanguinis quantitatem deduci, illumque, propter tortuosam et serpentiniformem vasorum viam, ibidem inaequaliter, et propter inaequalem relationem luminis et tunicarum vasorum in his partibus diutius morari; tandemque ob magnum neruorum numerum, in his partibus distributorum, fieri non posse, quin valde irritabiles sint.

§. XV.

Ex his porro consequitur (§§. VI. VIII. IX. X. XII. XIII.), in his partibus secretionem et excretionem mucinariam necessariam esse, utpote qui in statu sanitatis ea in quantitate fecerni et excerni debet, quae ad lubricationem partium genitalium feminae requiritur.

§. XVI.

Pathologia abunde nos docet, saepius fieri, ut excretiones naturales in maiori gradu eueniant, quam qui ad

statum sanitatis necessarius est. Quum itaque ex §§. praecedentibus pateat, in vtero et vagina mucum fecerni et excerni; hinc etiam exinde perspicere licebit, fieri posse, ut haec fluidi mucosi excretio in maiori copia contingat, quam ad statum sanitatis requiritur.

§. XVII.

*Definitio
fluoris al-
bi benigni.*

Et sic ad fluoris albi benigni declarandam notionem devenimus. Ille enim ibi obtinere dicitur, si excretio mucici nondum corrupti in vtero eiusque vagina maior est, quam statui sanitatis respondet.

§. XVIII.

*Quid re-
quiratur
ad fluorem
album be-
nignum?*

Fluida secreta sine praegressa secretione eorundem excerni non posse, satis notum est ex physiologicis. Ideo eorundem excretio maior, quam par foret, omnino requirit maiorem quoque secretionem. Quum vero nulla contingere possit secretio, nisi antea certa sanguinis quantitas ad loca secretoria deferatur (per princ. physiol.); hinc maior fluidi secreti excretio, quam ad statum sanitatis requiritur, postulat maiorem sanguinis ad loca secretoria translationem, quam cum perfectione corporis humani congruit, adeoque etiam congestionem (per princ. patholog.). Ex quibus sponte consequitur: omnem fluorem album sibi praestruere sanguinis versus vterum eiusque vaginam congestionem, et hanc quidem rationem illius sufficientem in se continere.

§. XIX.

§. XIX.

Quum igitur fluor albus maior sit fluidi mucosi ex- *Quomodo*
cretio ex vtero eiusque vagina, quam ad statum sanitatis *floris albi*
requiritur, illa autem partim ex sinibus mucosis, partim *benigni*
ex emissariis vaginae procedat (§. XV.), facile perspicitur, *caussa con-*
causam floris albi illud ipsum esse debere, quod efficit, vt *cipienda*
mucus aut ex vasis lateralibus folis, aut simul ex canalicu- *fit?*
lis excretoriis vaginae in tanta copia profluat, quanta sani-
tatis statui noxia est.

§. XX.

Atque si conferuntur §§. praeced. (§. XVIII. XIX.), *Eiusdem*
patet, id fluorem album determinare, quod sanguinem *rei conti-*
aut ad vteri eiusque vaginae arterias, aut ad origines vaso- *nuatio.*
rum lateralium vaginae ita congerit, vt ideo mucus serosus
magna copia fecernatur, quum praeterea reliqua, quae ad
excretionem eius sunt necessaria, manent.

§. XXI.

Feminae prouectioris aetatis, corporis spongiosi, *Ad floris*
vbi serum in massa sanguinea abundat, et in quibus men- *albi benigni*
struus fluxus irregularis est, plerumque flori albo obnoxiae *productio-*
fieri solent. Nam, feminae, quae iam ad prouectiorem aeta- *nem quid*
tem peruenerunt, rigidae et cacochymicae fiunt, prae- *conferant*
terea per aliquod tempus patent congestionibus ad loca *actas pro-*
vterina. Haec autem rigiditas auctam sibi praestruit par- *uectior,*
tium *mensum*
anomaliam,
habitus

*spongiosus
corporis, et
ferosa col-
luies san-
guinis.*

tium solidarum, adeoque etiam fibrarum vasorum muscularium cohaesionem, et quod exinde intelligitur, maiorem respectu sanguinis delati resistantiam (per princip. pathol.). Quodsi igitur intra tempus aliquod congestio versus loca vterina adfuerit, impedimentum motus progressiui sanguinis se offert, qui praeterea inaequalis et tardior est (§. XIV.). Ex hoc retardato sanguinis progressiuo motu, fluidum serosum, quippe quod leuius est, a sanguine facile separabitur, et, quum secretio fluidi serosi ad loca vterina iam in statu naturali obtineat, haec eo maior et crebrior erit, et fluor albus, quod ex notione eius clarum est, sic oborietur. Cacochymia, de qua locuti sumus, quae partim spissitudinem, partim ferositatem et acrimoniam fluidorum indicat (praecipiente Pathol.), in locis vterinis et vagina vteri mox spasmos, mox debilitates efficit. Ex principiis pathologicis notum est, spasmos lumen vasorum imminuere, adeoque sanguinis motum retardare. Ex motu sanguinis languido autem secretio fluidi serosi copiosior oboritur. Quodsi igitur congestio ad aliquod tempus obtineat, necesse est, vt fluor albus oriatur. Debilitas, quae in imminuta cohaesione partium solidarum consistit, et ad speciem solutionis continui proxime accedit, ad vasa vsque fluidum mucosum fecernentia in vtero eiusque vagina se extendere potest. Quum autem per maiorem ductuum excretoriorum relaxationem ipsa excretio augeatur (per princip. physiol.), in vnaqueque congestione, quae versus vterum et eius vaginam de-
ter-

terminatur, maior excretio mucii erit, quam ad statum sanitatis necessaria est (§. XVII.), adeoque etiam fluor albus inde proueniet. Feminae, in quibus mensium eruptio difficilis est, mox spasms, mox debilitatibus vasorum in partibus genitalibus internis laborant. Iam quum ex superioribus constet, spasmos et debilitates vasorum vteri eiusque vaginae causas fluoris albi esse solere, etiam necessarium erit, vt illae fluore albo diuexentur.

§. XXII.

Feminis partum difficilem aut abortum expertis, fluor albus non raro oboriri solet. Nam in partu difficili et abortu spasmi, ingentes debilitates, quid? quod ipsae vasorum vteri eiusque vaginae ruptiones fieri solent (per princ. pathol. et section. anatom.). Ex antecedentibus perspicitur, spasmos et debilitates fluoris albi causas esse, et solutiones ductuum mucosorum in partibus genitalibus internis secretionem fluidi mucosi maiorem promouere, adeoque fluorem album determinari.

Quid partus difficilis aut abortus?

§. XXIII.

Feminae, quae causas externas ad genitalia admittunt, quae relaxationes ibidem producunt, et quae Venere abutuntur, fluori albo facile subiectae erunt. Quum aër humidus et calidus admissus (quod hyemis tempore vasii carbonibus repletis fieri solet,) vasa, quae ad genitalia tendunt,

Quid causae externae?

dunt, debilitet (per princip. pathol.), vt per nimium Veneris abufum crebriores congestiones ad vterum eiusque vaginam producantur, neceffario confequitur, vt fluor albus determinetur.

§. XXIV.

Cur in virginibus viro maturis, et viduis iunioribus, frequens morbus fit?

Virgines viro maturae, congestionibus fanguinis ad loca genitalia crebrioribus obnoxiae funt, quae augentur et fpafmis ftipantur, quod in iis appetitus ad Venerem experiendam excitatur. Idem contingit in viduis iunioribus, quae amiffi boni iacturam lugent, eiusque reparacionem anxie et vehementer fitiunt (per exper.). Iam fuperiora docent (§. XXI.), fpafmos et congestiones verfus vterum et eius vaginam fluorem album determinare, adeoque patet, illas fluore albo facile contaminari poffe.

§. XXV.

Cur otiofa et phlegmaticis accidere folet?

Illae, quae in otio viventes, temperamentum phlegmaticum funt, et fanguinem fuum vifcidum reddunt, fluori albo magis quam aliae obnoxiae funt. Quo plures enim et maiores cauffae quendam effectum determinant, eo facilius ille producitur. Nam in his fubiectis partim fpafmi, partim debilitates vaforum, partim etiam congestiones et ferofitas fanguinis obtinent (per princip. pathol.), vnde etiam fluor albus eo citius nafci debet (§. XXI. et XXII.).

§. XXVI.

§. XXVI.

Puellae adhuc impuberes post phlegmatorrhagiam, ^{Quando etiam puellis impuberibus?} aut scabiem, aut crustam lacteam subito suppressam, aut quarum partes genitales vel irritantur, vel debilitantur, fluorem album extra ordinem experiuntur. Constat inter Medicos, si excretio aliqua supprimatur, alteram illi respondentem intendi. Quodsi igitur quaedam excretiones mucosae subito supprimantur, et causa adsit, per quam sanguis serosus ad vterum eiusque vaginam congeratur; necesse erit, vt fluor albus inde producatur. Quum eadem subiecta sexus sequioris, in statu naturali, non tam facile congestionibus ad partes genitales exposita sunt, ratio, quae fluorem album determinat, in statu praeteritarum determinationum quaerenda est.

Schol. Magnum ideo vitium est, si infantes a nutricibus titillantur et frequentissime tanguntur, ne lacrimentur aut clament, aut etiam, si infantes sub decubitu vulnere quasi affecti sunt, et sacculis cerussa repletis, aut unguento in partibus genitalibus colliniuntur. Hoc enim modo dispositio ad congestiones versus has partes determinari poterit.

§. XXVII.

Ex §. XXI - XXVI. planum est, in his determinationibus rationem sufficientem adesse, cur feminae fluore albo laborent. Nam ad vnumquemque fluorem album requiritur

quiritur congestio versus uterum eiusque vaginam (§. XVIII.). Spasmi vero, rigiditas, compressio, debilitas, arro-
siones, ruptiones vasorum uteri eiusque vaginae, in se con-
tinent rationes sufficientes congestionum versus has par-
tes, adeoque etiam fluoris albi.

§. XXVIII.

*Debilitas
corporis a
fluore albo.*

Excretiones naturales excedentes ad causas perti-
nere, unde corpus debile redditur, omnes consentiunt Pa-
thologi. Dubitari ergo non potest, fluorem album diu-
turniorem debilitatem totius corporis efficere (§. XVII.).

§. XXIX.

*Vnde effe-
ctus alii.*

Debilitas corporis ad eas causas pertinet, quae las-
situdinem, oedemata, hydropem, cachexiam, tabem, fe-
brem lentam, uteri prolapsum, in sexu sequiori determinant
(per princip. pathol.). Ea propter modo memorati morbi
tanquam effectus fluoris albi possibiles sunt.

§. XXX.

*Fluoris al-
bi sympto-
mata alia.*

Ad fluorem album congestio semper versus vasa
uteri eiusque vaginae requiritur. Congestiones autem
sanguinis in partibus inferioribus semper spasmos determi-
nant, qui liberum sanguinis per vasa sua transitum impe-
diunt (per princip. pathol.); ideo clarum est, cur feminae
fluore

DE FEBRIS SALVBRITE IN FLVORE ALBO BENIGNO. 19
fluore albo laborantes, de grauitate pedum conquerantur, et
plerumque pallefant.

§. XXXI.

Excretio fluidi mucosi in fluore albo procedit om-
nium maxime circa ceruicem vteri et initium vaginae eius
(§§. VI. IX. X.). Quare mucus ille, in orificium vteri in-
ductus, durante excretionem vrinae cum eadem miscetur,
inde fit, vt personae huius generis de inconsumta partium
genitalium lubricitate conquerantur, et vrina ipsa, si in va-
se quodam excipitur, flocculos innatantes monstret.

*Eiusdem
phaenome-
na alia.*

§. XXXII.

Excretionem naturalem sub vehemente corporis
motu intenduntur (per princ. physiol.); quodsi ergo sub
fluore albo grauius commoueat corpus, tunc lubricitas
partium genitalium augetur (§. ant.), et quum simul affricus
partium genitalium externarum adfit, hinc saepissime exco-
riatio determinatur.

*Quod vlc-
erius, conti-
nnatur.*

§. XXXIII.

Fluor albus nihil aliud est, nisi maior excretio flui-
di mucosi in vtero eiusque vagina. Ex descriptione ha-
rum partium apparet, fieri omnino posse, vt sub augmen-
to excretionum particula quaedam materiae excernendae
locis affectis adhaereat, quae ibi quiescit. Quod quum in

*Fluoris al-
bi benigni
in malignum tran-
situm possi-
bilis.*

fluore albo benigno eo facilius contingere queat, dum materia ibi excernenda per loca rugarum admodum plena transire debet (§. VI. IX. X.), certum omnino est, in particulis quiescentibus mucii in vtero eiusque vagina idem euenire posse, quod in aliis fluidis stagnantibus obtinere solet, quae humidis, calidis, aëri patentibus locis exposita sunt. Atque hic nihil aliud existere potest, quam inspissatio fluidi et corruptio eius (per princ. pathol.), vt adeo dubitationi nullus sit locus, fieri posse, vt, praesente fluore albo benigno, putridum in vtero et eius vagina oriri possit, et fluor albus benignus in malignum transmutetur,

Schol. Hinc si feminae fluore albo benigno laborantes de pruritu in partibus genitalibus conqueruntur, tunc eo propius ad fluorem album malignum accedere videntur. Quare obseruare licet, feminas eo tempore inter eundem fatis breues gressus facere, quod sensationes ingratas eo imminuere student, quum per passus hos abbreviatos in partibus genitalibus frictio quaedam producitur, sicque pruritus mitigatur.

§. XXXIV.

Motus febriles in fluore albo.

Omnem fluorem album motus febriles comitantur. In congestionibus versus partes internas, in excretionibus naturalibus nimis auctis, in spasimis, motus febriles adeste, docet Pathologia. Quum vero in quocumque fluore albo congestiones (§. XVIII), spasmi (§. XXX.), et excretio natu-

naturalis nimis aucta (§. XVII.), adesse soleant; ideo in fluore albo commotiones febriles obtinere debent.

§. XXXV.

Febris, vti Pathologia docet, morbus est ex spasm^o peripherico et pulsu celeri et frequente, qui eum con-
sequitur, compositus. *Febris def-
nitio.*

§. XXXVI.

Quare in omni febre duplex sanguinis motus adest. *Duplex
motus san-
guinis in
febre.*
Spasmus enim periphericus ille est, qui vniuersae cuti in-
haeret, quamobrem omnes partes illae, quae in periphe-
ria corporis conspiciuntur, simul afficiuntur; ita etiam ne-
cessarium est, vt venae cuti copiose intertextae arcte con-
trahantur, adeoque sanguis ex minoribus ramis in maiores
magno impetu transeat, et idcirco ad cor celerius propella-
tur. Quia autem semper vis respondet effectui, quem pro-
ducit (per princ. Ontol.), et per celerem sanguinis affluxum
ad cor actio eius intenditur (per princ. physiol.); hinc per
vim cordis sanguis in arteriis celeriter propellitur, et a cor-
de versus extrema velocius profluit, et pulsus celer et fre-
quens simul oriri debet (§. XXXV.). Ex his intelligitur,
in initio febris motum a peripheria ad centrum, et postea
a centro ad peripheriam determinari.

§. XXXVII.

*Quomodo
in febre
sanguinis
quantitas
in vasis in-
ternis im-
minuatur.*

Quodsi itaque in febricitantibus sanguinis circulus a centro ad peripheriam fortior fuerit, necesse est, vt copia sanguinis in vasis internis imminuatur. Nam sublata causa tollitur etiam effectus (per princ. Ontol.). Per auctam vim cordis sanguis maiori impetu ad arterias pellitur; vt adeo maior diastole et systole oboriatur. Dum igitur sanguis per caua arteriarum cito perfluit, necesse est, vt parietes illarum ab axi magis recedant, et ipsae arteriae distendantur, vti etiam vltimi rami cum venis anastomosin efficientes; hanc ob rem fibrae musculares contractae rursus extenduntur, et spasmus periphericus cessare et solui debet, simulque sanguis magis ad partes externas rursus fluit; vnde congestio sanguinis versus interiora imminui debet.

§. XXXVIII.

*Sudoris
productio
in febre.*

In febricitantibus aucta transpiratio producitur, quae efficit, vt serum magis per spiracula cutis euacuetur. Quum enim transpiratio in corpore humano dependeat a libero sanguinis circulo per vasa peripherica, et a motu celeriori sanguinis producatur aucta transpiratio (per princ. phys.), in omni autem febre motus sanguinis celerior reddatur (§§. XXXVI. XXXVII.); hinc serum magis per spiracula cutis euacuari per se liquet.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Idcirco etiam necesse est, vt euacuatio feri e genitalibus, consequenter etiam fluor albus, imminuatur. Febris enim auget excretionem periphericam (§. ant.); dum vero haec intenditur, excretio particularis imminui et congestiones versus eas partes fientes, in quibus particularis excretio fit, cessare debent (per princ. pathol.). Quum autem fluor albus ad excretionem particularem referri debeat (§. XVII.), et congestionem requirat, (§. XX.), hinc fluor albus, dum illa imminuitur, simul imminui debet.

Quid inde colligatur.

Schol. Experientia fere quotidiana confirmat hanc legem naturae corporis humani: excretionem nempe fluidorum homogeneorum particulares ab vniuersali absorberi; suppressa vero excretionem vniuersali excretionem particularem adaugeri, vti hoc aestatis tempore obseruare licet, vtpote quo feri plus per sudorem, quam per vrinam euacuatur, et hyemis tempore, quo plus per vrinam excernimus, quam per sudorem.

§. XL.

Fluor albus, praecipue in febre catarrhali benigna, si eius solutio per largam transpirationem contingit, salutariter soluitur, et robur vasis genitalibus debilitatis restituitur. Nam in omni febre fluor albus imminui potest (§. ant.). Quum autem in febre catarrhali excretio feri aucta versus partes superiores corporis adsit, qua congestiones ad loca genitalia

Quid praecipue febris catarrhali benigna in fluore albo efficere possit.

genita-

genitalia aliquatenus imminuuntur (per princ. pathol.), et simul ab aucta sèri secretionè motus febriles excitantur (§. XXXIV.), atque insuper a quantitate caussarum, quarum vtraque sufficiens est effectui producendo, ad maiorem effectum concludere liceat (per princ. Ontolog.); hinc ob catarrhum et fluorem album motus febriles augentur, consequenter si transpiratio sequitur, illa larga est, (§. XXXVIII.); idcirco fluor albus, quum iam per catarrhum imminuatur, eo facilius penitus cessabit, et vasa circa loca genitalia debilitata, ob minorem distensionem contrahentur, et robur suum iterum obtinebunt.

§. XLI.

*Theoriae
probatio a
posteriori.*

Sed iam dispiciendum erit, vtrumne etiam theoria hæcenus proposita ab experientia confirmetur? Maximam enim certitudinem doctrinis medicis largitur consensus cum accuratis obseruationibus. Proferam nunc modo duos satis notabiles casus, quorum copiam mihi facere licuit ex exercitationibus clinicis Praeceptoris admodum colendi, celeberrimi et experientissimi Domini Doctoris NIETZKI, vnde manifesto apparebit febris salubritas in fluore albo benigno.

§. XLII.

*Obserua-
tio.*

Feminae cuidam honoratoris conditionis, anno aetatis vigesimo, post partum difficilem praegressum, fluor
albus

albus benignus oboritur. Varia remediorum genera ad morbum sanandum adhibita erant, quae partim a Medicis, partim ab aniculis aegrae commendabantur, sed omnia incassum. Anno decimo septimo ab ortu morbi, aegra febre catarrhali benigna corripitur, eidem oborta ex admiffis cauffis quibusdam grauibus laesae transpirationis, soluta vero intra primum et secundum septenarium per largos sudores, eo cum successu, vt non solum febre ipsa, sed etiam fluore albo adeo inueterato prorsus sublatis, cum sanitate in gratiam redierit.

§. XLIII.

Femina alia, quadraginta et quinque annos nata, tempore fluxus menstrui terrore corripitur, quo ipsi salutaris ista excretio supprimitur. Subsequente periodo menstrua loco fluxus catameniorum prodit fluor albus benignus, isque continuus vsque ad annum aetatis vigesimum secundum, tunc vero euanidus factus post febrem catarrhalem benignam in aegrotante subortam, salutariter tamen solutam circa finem septenarii secundi per sudorem copiose prorumpentem.

*Observatio
alia.*

D

§. XLIV.

§. XLIV.

*Pars argu-
menti pra-
ctica.*

Iam quum mihi partem huius argumenti theoreticam fatis tractasse videar, restat, vt et *utilitatem* illius, et *regulas*, in curatione huius morbi obseruandas, exinde deducam.

§. XLV.

*Methodus
medendi.*

Quoniam Therapia scientia est, quae modos morborum et curandorum et imminuendorum explicat, hi vero cum ratione et experientia conuenire debent; facile hinc intelligitur, methodum medendi fluori albo rationi et experientiae consentaneam esse debere, et in sequentibus *indicationibus* fundari.

§. XLVI.

*Indicatio
prima.*

I. Absente omni vestigio malignitatis eo respiciendum est, vt vasa genitalia robur suum adipiscantur. Quoniam enim a distensione vasorum sensim maior debilitas eorum producitur, et haec ipsa fluoris albi causa est (§. XVIII. XXI.), elucet exinde, ea medicamenta, quae tonum vasorum genitalium augent, adhibenda esse, praecipue balsamica, quae effectum putrefactioni resistentem simul exferunt.

§. XLVII.

§. XLVII.

II. Corpus eorum, qui hoc malo affliguntur, ad debitam transpirationem disponi et in eadem conseruari debet. Hoc enim modo Therapeuta febris naturam imitatur. Iam quum excretio vniuersalis semper particularem absorbeat (§. XXXIX.), et fluor albus ad excretiones particulares referatur; ratio huius indicationis inde intelligi potest.

*Indicatio
secunda.*

§. XLVIII

III. Denique caussae illae tolli debent, quae causam proximam fluoris albi benigni determinant. Fieri enim potest, vt caussae determinantes causam proximam fluoris albi corpori diutius inexistant, quae illum denuo producere possunt (§. XXVII.); hinc dubitari amplius nequit, has caussas remouendas esse.

*Indicatio
tertia.*

§. XLIX.

Quia ex qualitate caussarum determinantium percipi potest, quid porro ad regimen vitae earum, quae hoc morbo laborant, requiratur; id ab artis peritis probe obseruandum erit, quod ad feliciorum curationem facere possit.

*Quale re-
gimen vi-
tae.*

§. L.

Conclusio.

Peramplius mihi pateret campus, si ea remedia, quae vim roborantem, putridum corrigentem, excernentem praestant, et aequalem humorum distributionem promouent, recensere vellem. Quia autem haec ab artis peritis e materia medica et diaetetica facillime peti possunt, et realitas methodi medendi in genere perspicue a me tradita fuit; nihil amplius supererit, quam ut Lectorum beneuolentiae me commendem, et huic tractationi

imponam

F I N E M.



PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
D O M I N O
C A N D I D A T O
S. P. D.
P R A E S E S.

Non rerum quidem dicendarum inopia coactus, sed urgente potius temporis breuitate impeditus, pressam TIBI epistolam inscribo. Neque etiam alienis laudibus opus habes, cum, quod elaboratum sists, Specimen, luculentus exset TVAE scientiae testis. Ostendis hac Dissertatione, quam bene medicatrices morborum vires ab iis, quae in perniciem corporis humani tendunt, distinguere calleas. Quam utilis Medico est disquisitio et notitia! Vtinam eandem omnes susciperent et haberent, qui ipsa saepe curatione morbi efficiunt, ut minus curetur aeger! Gratulor TIBI, PRAENOBILISSIME CANDIDATE, hanc indefessa diligentia acquisitam scientiam. Gratulor TIBI academicam vitam feliciter exantlatam, summos demum in Medicina honores, TIBI haud immerenti conferendos. Viue denique felix et sanus, meique amicam memoriam numquam deponere! Vale! Dab. in Reg. Frider. d. XV. Decembr. MDCCLXIV.

NOBILISSIMO PVLCHREQVE DOCTO
FRID. GVIL. WASMANSDORFIO

S. D.

D. ADAMVS NIETZKI.

Si illi iuuenes, qui studiorum caussa ad Academias accedunt, per aliquod tempus ibidem commorantur, inde tandem discedunt, sibi promeruisse videntur ius quoddam a praeceptoribus et amicis extorquendi publicas honoris testificationes; simulatque nullum dubium fuerit, quin factis probare possint, se non in otio, sed in litteris vitam academicam consumpsisse: longa nunc epistola laudibus TVIS inscribenda foret; siquidem de TE satis constat, nunquam studium TVVM defecisse in perdiscenda Medicina, quamdiu in hac Musarum sede commoratus es. Ut vero hedera suspensa opus non est vinis bonae notae: ita etiam superuacaneum foret, longa oratione laude TVAS prosequi, eademque verborum lenociniis insuper ampliores efficere. Nam ex merito TE laudabit specimen TVVM inaugurale, quod proprio Marte elaborasti, ubi egregios profectus TVOS in arte salutari satis probatos exhibuisti. De quo ingenii TVI partu, nec non de Doctōris dignitate, in TE propediem conferenda, TIBI ex animo gratulor. Exit iam DEVS T. O. M. ut in posterum quoque res TVAE feliciter succedant! Vale meque amare perge. Dab. in Acad. Frider. XVI. Cal. Ianuar. A. O. R. c1o1occcLXIV.

MON.

MONSIEUR

Les perfections de l'ami sont toujours l'objet de l'amitié, car c'est propre à un vrai ami, ou augmenter sans cesse les perfections de son ami, ou sentir vne satisfaction ravissante de celles, dont il le voit deja briller. C'est par cette raison, MONSIEUR, que je me prend la liberté de VOUS contester la plus sincere et la plus forte joie, dont je suis penetré en VOUS voyant dans l'imagination au temple d'Esculape, ou on met le laurier sur VOTRE front, en VOUS accordant les honneurs dûes à VOS merites et à VOTRE dexterité dans les sciences medicinales. J'ai l'honneur d'être de Vos amis, qui sont joins par le plus etroit lien de l'accord des sentimens et de la vertu, et je serois à blamer si je laissois echapper l'occasion si favorable pour VOUS pouvoir temoigner, combien je VOUS aime et combien je VOUS estime. Me voila donc VOUS faire ma tres humble et sincere felicitacion, que je ne puis faire autrement que par ces lignes. Ayez la bonté de les regarder d'un oeil favorable comme des foibles marques de mon estime et de l'attachement avec lequel je VOUS aime. Je prie la divine bonté de VOUS combler tous les jours de VOTRE vie de ses benedictions, et de seconder toujours toutes VOS entreprises, de VOUS conserver dans une parfaite santé et prosperité.

té. Qu'elle veuille VOUS mener au plus haut degré de la gloire, dont VOUS êtes trop bien persuadé, MONSIEUR, de ma parfaite amitié, pour que j'aie besoin de VOUS en donner des nouvelles assurances, et comme je connois aussi la sincérité de la VOTRE, je VOUS en demande seulement la continuation, VOUS protestant, que, quant a moi, je conserverai éternellement les sentimens de tendresse et d'estime avec les quelles je suis

MONSIEUR

a Cöslin

ce 1 de Decembre 1764.

VOTRE

tres - humble et tres - obéissant

Serviteur et ami

I. D. FRANTZ

Pomeran. Cand. en Droits.

Diss. med. Hal.

g. 1763/64.

ULB Halle

005 379 296

3






B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13



DE
ALVBRITATE
E ALBO BENIGNO

INDVLTV
MEDICORVM ORDINIS
A FRIDERICIANA
A ESIDE
ELIA BÜCHNERO

ANI IMPERII NOBILI,
SIAE REGIS A CONSILIIIS INTIMIS,
H. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINARIO
RE, REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,
IAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAE-
SOCIET. SCIENTIAR. ANGLICAN.
ET MONSPELIENS. SODALI,

ADV DOCTORIS

TER IMPETRANDO
ECEMBRIS CIO IO CCLXIV.
H. L. Q. S.

LICE DISPVTABIT
AVCTOR

HELMVS WASMANSDORF
EROLINENSIS.

LAE AD SALAM
IS CVRTIANIS.